Guilielmo Fuchsio S. Pl. P.
Bibliothecario

Recte implesti pollicitationem, quam mihi disertis verbis contestabas, quum Mannhemio me discedere. Si me quoque fortuna detulisset ad Musillettum vestrum, saepe in amplexus tuos me effunderem, et propius testarer, quod meum in familiaritates clarissimae sacra transivisses, nunc prohibitus ab amoenissimo loco, et ab conspectu tuo avulsus faciam, quod peregrinantes amatores solent vota sua et flammas in Epistolis confitentes.

Tibi quidem vehementer laetaris, quod ad maternos penates reversus inter libros tuos sedeas. Sed ego mehercule ad tristitiam adductus sum, quod tecum tam bene atque praeclare ageret. Mihi crede, longe dulcissima vita est, quam sua quisque domi vivit et qui fori aulaeque claritudinem colendam sibi putat; sic enim ipse nec gravioribus curis torquebitur, nec alii eum invidiam excogitabunt; eo etiam felicior quod pulcherrimam scenam caelo inferat, ubi annis solutus et vita lassus moritur. At nos miseri, quos fortuna adhuc in aulas detinet, ambitione tabescimus et curis deliquescimus dumque vitam caecum aspiam agimus et paventes dominorum gratiam circumspectamus, illud nobis accidit, ut perpetuo isto metu laceremur, et ante diem concidamus atque obmutescamus. Si me Dii aliquando ad eam deferent fortunam, ut

divitias operosiores
Valle permutem Sabinâ,

Satis grande felicitatis meae pretium esse putabo. Alii fortasse, quos ambitio adhuc distendit, propellere labores suos ad aulae fulgorem praegestient; at ego seu deliciis vitae praesentis fatigatus, seu frui animâ meâ nesciens, in meâ ponam felicitate, si tenui in domuncula sedeam, si carmen effingam, ut historias veteres

legam

vigam aut maculosam orationem stylo Critico effodiam et ut ille dicit, pueris voces latinas induam. Sed nolo in Epistola philosophari, ne gravitatem meam videar. De jocose dixerim, me et misericordia tui et curâ fuisse turbatum, quum ante paucos dies Lorig nr Heidelbergâ rediisset. Ajebat enim puellam istam viciniam, quam quincta sui parte nectaris Venus imbuit, non exhorruisse ad nuptiarum nomen, jamque tabulis nuptialibus sancitum, ut in hominis vidui et effoeti thalamum transeat. Si hoc verum est tui par invidiâ et palam exclamabo,

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes!

Suadeo nunc tibi ut sarcinulis collectis ad nos redeas ne quotidie causam lachrymarum ante oculos videas. Id et mihi pergratum erit, quod conversatione tuâ frui iterum possim et tibi salutare eveniet, quum multi magnique dolores et aegrimoniae animi absentiâ mitigari et curari soleant. Vale Friderici burgi MDCLXVIII.

Joh. Lud. Fabricio
S. Theologiae D. et Prof. 391.

Risitasse Serenissimum Electorem, et simul contrivisse audio, quum literas tuas perlegeret; occurrebat enim Melancholiae vocabulum quam te mutationi aeris propulsaturum scripseras. Possem et ego in risu descendere, si liceret mihi tum hilari esse, sed vereor cachinnô dissolvere ilia, quum mihi mox equo quadrupedante iter faciendum sit. Imperatum enim mihi hâc horâ est ut sarcinulas colligam, et simul ad Francothalium urbem proficiscar. Si ad Choreas aut convivia iter lubens dominum meum sequar; sin ad bellum, di deaeque omnes perdeant, nisi malim manere domi et cucurbitas pingere. Non sum miles ille gloriosus, qui farturm ex hostibus facere possit aut Machaerâ frustillatim illos dejicere, veluti ventus pyra difflat. Quod si omninò pugnandum est, exemplo Rhati Virgiliani vigilantis et uncta videntis me componam.